



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **De Breviario Concionatorio, Strenæ, Fidelis Prophetissa Concionibus de B. M. Virgine serviens, Conciones Occurrentes & Funebres**

**Tylkowski, Wojciech**

**Oliva, 1686**

V. Quia de ejus gloria Cœlites participant.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51821](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51821)

piscopus subito ac inopem moritur. Aderant dæmones qui miseri auferrent animam: Adfuit & Divus cum S. Clara qui inhiheret: sed genij urgebant iuxta leges iustitiæ sibi deberi, utpote hominis in peccatis gravibus functi vitæ. Interea Divus S. Clara commendat animam, ipsa verò ad Dei Matrem digreditur, ejusque sollicitè opem implorat. Cui Virgo: Verè iste non est dignus, ut pro illo Filium deprecet: propter te tamen interpellabo pro eo. Redditus itaque die tertiâ vitæ Episcopus, & quod de eo actum retulit, diebusque novem ad pœnitentiam in vita relicta.

Bene argumentatus de patrociniò Virginis *S. Anton. p. 4. tit. 15. cap. 17.* Oratio Sanctorum innititur tantum gratiæ, oratio autem Virginis innititur gratiæ Dei, jure naturali & iustitiæ. Quapropter dum Sancti impetrant etiam per Mariam impetrant. Quod ipsum conspicitur in *Revel. S. Brigittæ libro 1. cap. 103.* ubi *S. Dionysius* visus est orare Sanctam Virginem ut Regno Galliæ succurreret. *S. Menulphus apud Surium* testatus est reviviscens à mortuis, se aliquid post obitum per Dei Genitricem Mariam impetrasse. *S. Cesarius M.* ut habetur in *vita Annonis apud Surium*, Peccatoris cujusdam salutem per opem Deiparæ quæsivit, & reperit. *S. Agnellus* ut habetur eodem in *eius vita apud Paulum Regium*, post obitum apparuit cuidam orans pro salute ejus Virginem Mariam; ita Divi quod nobis donant, opem Virginis donant.

##### 5. Quia de ejus gloria Cælites participant.

Sit primus hujus rei testis *S. Bernardinus tom. 1. serm. 61. artic. 3. cap. 30.* expendens illa verba *Elther cap. 1.* *Posuit diadema Regni super caput ejus, & voluit eam esse Reginam, ita ille;* Istud est diadema speciei, & coronæ gloriæ, quâ Virgo super Angelos coronatur, & intra Trinitatis gloriâ ipsa sola sit amplius evecta ac plus Beatissimæ Trinitatis diligat gloriâ, capiat, sentiat, ac fruatur, quàm omnis alia pura creatura simul sumpta: de cujus gloria post Filium participant universi. *S. Ephrem. Orat. de B. Virgine.* Regina omnium sublimior Cœlicolis, purior solis radijs, & splendoribus, honoratior Cherubim, & multo sanctior Seraphim, & nulla comparatione cæteris omnibus exercitiis gloriosior, omnium Sanctorum Corona.

Hinc meritò dantur hi tituli B. Virgini à *S. Bonav. in psalt. min.* Regina sæculorum. *A Buteone in hymno,* Altitudo inenarrabilis. *A S. Chrysol. serm. 143.* Virgo major Cœlo. *Ab Eucher. Presbyt.* Virgo purior omnibus Angelis Cœlorum, & splendidior in puritate omnibus splendoribus eorum, & Civium omnium Supernorum. *Albert. Magn. in bibliis B. V. ad Cap. 1. cant.*

Pro infallibili Regula debemus habere, qui eam diligimus, quòd omne, quòd unquam bonitatis in aliquo Sanctorum fuit, vel pulchritudinis, in ipsa hoc per excellentiam Deus exercuerit, & per ipsam in eos. Et *lib. de laudib. B. V. cap. 69. & 76.* tradit hanc regulam pro formandis de Virginis celsitudine sententijs: Dubium non est



est, quin Mariæ tribui conveniat, quidquid boni quævis Creatura vel fecerit, vel receperit. *Petrus Damian. serm. de Nativit. Virg.* Attende Seraphim & in illius superioris naturæ supervola dignitatem, & videbis quidquid majus est, minus est Virgine, solumquæ Opificem opus istud supergredi.

#### 6. Quia est quodammodo Omnipotens.

*Richard. lib. 2.* Cum eadem sit potestas, & communis Matris, & Filij quæ ab omnipotente Filio, omnipotens est effecta, quia non est potestas nisi à DEO Rom. 14. Vnde dicit cum Filio Matth. 28. *Data est mihi omnis potestas in Coelo, & in terra;* tamen excellenter potens in Ecclesia triumphante. Vnde dicit Eccles. 24. *In Jerusalem superna potestas mea,* imperandi scilicet quod volo virtutibus Angelicis, & animabus sanctis, & faciendi ad beneplacitum meum, & quos volo introducendi. *S. Bonavent. in Cant. post psalt.* Domina nostra omnipotens post Dominum nomen ejus. Quia ut *August. seu aliquis apud eum serm. 20. ad Fratres in Eremito docet.* Talis suo modo Mater, qualis Filius. *S. Andr. Cret.* vocat Virginem Miraculorum effectricem, potestatem habentem, quæ labefactari nequeat; & quæcunque voluerit efficere potest. *S. Sabbas* ita illam affatur in *Meneis 17. Jan. in matut.* Et *Greg. Nicomediensis Orat. de exitu B. Virg.* Nihil tuæ resistit potentiae, nihil repugnat tuis viribus, omnia cedunt tuo jussu, omnia tuæ potestati serviunt. *Damian. serm. 1. de Nativit. B. Virg.* Nihil tibi impossibile. *S. Bonav.* rationem dat in *speculo cap. 8.* Quia Dominus potentissimè tecum est, ideo tu es potentissima tecum, & per ipsam potentissima apud ipsum. *S. Anselm. de laud. B. V. cap. 12.* Dominus te sic exaltavit, ut omnia tecum possibilia esse donaverit.

Refert *S. Brigitta revel. c. 84.* Sanctos hæc in Cælo dixisse: O Domina Benedicta, tu portasti Dominum in te, & tu Domina omnium es: quid est quod non poteris, quod enim tu vis, hoc factum est.

#### 7. Quia Dominatur Angelis.

*S. Joan. Damascenus in Dialogo Angeli* annunciantis Virgini qui est relatus in *Menea Græcorum ad 25. Martij,* ita inducit Angelum agnoscentem supra se Virginis Dominium. Quid me pertimescis ò nullo unquam nævo subjecta? me qui tibi potius metum ut subditus debeo? Quid me veneraris ò Domina, qui te etiam cultu quodam adorationis longè justius veneror? Non sine timore ante faciem tuam ut servus antè Dominam adito, imò nec aspiciere te præ veneranda tui formidine audeo. *Et paulò post.* Lætare ò altitudo Maria! ad supremum cujus fastigium cogitationes hominum ascendere nequeunt: lætare profunditas, cujus subtilem recessum nec quidem acies Angelica penetrat, lætare per quam innovantur Creaturæ.

E

Quod